

Werk

Titel: Elementorum Evclidis libri XV ad Graeci contextus fidem recensiti et ad vsvm tiro

Verlag: Gleditsch

Ort: Lipsiae

Jahr: 1769

Kollektion: DigiWunschbuch; Mathematica

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN529030802

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN529030802>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=529030802>

LOG Id: LOG_0003

LOG Titel: Vorwort

LOG Typ: preface

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de



LECTORI

S. D.

GEORG. FRID. BAERMANNVS

Euclidis Elementa omnibus,
quotquot ad mathesin
discendam animum ap-
pellunt, non legenda solum, sed
& fere tota ediscenda esse, com-
munis olim fuit magistrorum hu-
ius artis sententia, & hac nostra
etiam aetate, in qua tanta Elemen-
torum Geometriæ copia instructi di-
cam an obruti sumus, omnes me-
cum confitebuntur, qui in Eucli-
deorum Elementorum lectione ea, qua

P R A E F A T I O

par est, diligentia sunt versati. Neque hoc tam suscepti operis amore, quam idoneis rationibus induetus iudico, quibus exponendis & his id persuadere possem, qui haec Elementa nondum legerunt, & eorum quoque criminationibus occurrere, qui, quum Euclidis hos libros siue carptim siue certe oscitanter legerint, nescio quem commodiorem in tradendis propositionibus ordinem, quam faciliorem & breuiorem in demonstrationibus viam iure desiderare posse sibi videntur. Verum quia horum argumentorum longior foret tractatio, quam praefandi breuitas patitur: vnam tantum rationem commemo rassem sufficiet, ob quam horum Elementorum lectio tironibus non utilis solum, sed & necessaria sit dicenda. Scilicet omnes, qui post Euclidis tempora aliquid in Geometria sub-

P R A E F A T I O

sublimiori, vel in Mechanica, Optica, aut Astronomia a se inuentum litteris prodiderunt, quemadmodum demonstrationum suarum plurimas ex iis duxerunt, quae in his Elementis ab Euclide sunt ostensa, ita & saepe ad eorum tanquam fontes lectores amandarunt. Cuius rei quae sint rationes, intellectu non est difficile. Namque veteres Geometrae alium Auctorem citare non poterant: quum multis post Euclidem seculis nemo fuisse, qui tanta arte detextam Euclidis telam retexere, & sub noua quadam forma tironum oculis sistere vellet. Ii vero, qui nostrae aetati propiores fuerunt, his tantum exceptis, qui ipsi vniuersae matheseos elementa conscripserunt, ad alium elementorum Geometriae scriptorem lectores suos commode non potuerunt ablegare, cum alias ob caussas, tum ob hanc potissimum

PRAEFATIO

mum, quod nullius Auctoris elementa Geometriae aequa vulgata sunt, atque haec Euclidea, quae in omnes terrarum regiones, simul ac ad eas Geometria accessit, perlata esse constat, & ex quibus, tanquam fontibus, ceteri riuiulos suos deduxerunt. Quae caufsa, sicut plerosque recentiorum Mathematicorum impulisse videtur, vt Euclidea Elementa, vbi opus erat, in demonstrationibus suis citarent, ita & eos, opinor, qui post-hac scribent, commouebit, certe commouere debet, vt hunc veterum morem sequantur. Quum ergo ad tot tam admirabilia excellentiissimorum ingeniorum inuenta aditus iis sit praeclusus, qui Euclidis Elementis sunt destituti, vel eorum lectionem negligunt: neminem fore confido, qui non intelligat, quam sit necessarium matheseos amatoribus, vt in Euclidea schola tironium ponant.

Quae

P R A E F A T I O

Quae quum ita sint, communi vtilitati me aliquo modo consulere posse putabam, si hosce Euclideos libros, quorum exemplaria in nostris bibliopoliis inde ab aliquot annis desiderabantur, denuo edendos curarem. Vt autem haec noua editio quam plurimorum usibus inseruire posset: operam mihi dandam esse intelligebam, vt talia exemplaria ederentur, quae neque mole sua neque pretio emtores deterrerent. Quare quum ea horum Elementorum editio, quam eximius, dum viueret, Geometra, Isaacus Barrowius, iuuenis olim Cantabrigiae parauerat, breuitate ita se commendasset, vt & in Germania typis quondam recusa, & plurimorum manibus huc usque trita esset: in animum iudicebam, huius editionis aliquod exemplar typis iterum describendum dare. Sed postea mutavi consilium, quum per-

PRAEFATIO

penderem, huic quamvis elegantissimae editioni inesse tamen aliquid, quod aliquos lectores offendere meminerim, & quod editioni, aliqua saltim ex parte meliori, locum relinquat. Scilicet qui Barrowianam Euclidis editionem cum Graecis codicibus contulerunt, non ignorant, in ea multarum propositionum demonstrationes immutatas, nonnullarum quoque omnino sublatas esse, aliis, quas Graecus Euclides non habet, in earum locum substitutis. Quod quanquam apud multos Lectores facile excusatur breuitatis studio: sunt tamen harum rerum intelligentes, qui id factum non esse malint. Dicunt enim primo, difficillimum esse, Euclideis demonstrationibus alias substituere, quae, quem breuiores sint, genio horum Elementorum, & purae simplicitati huius Geometriae aequa conueniant; idque ipsum illum celeberrimum Euclidis editorem

PRAEFATIO

editorēm suo exemplo docuisse in demonstrationibus, quas plurimis Libri II. propositionibus adiunxit. Deinde negant, illum, qui se Euclidem edere profiteatur, munere suo rite fungi, si lectoribus alia tradat, quam quae ipsi legerent, si Graecis codicibus vterentur. Quae quum non exiguam veri speciem habere mihi viderentur; neque ego in tanti viri opere aliquid immutare auderem: statui, de noua prorsus editione Latina Euclidis paranda mihi cogitandum esse, quae Graeci textus demonstrationes satis fideliter exhiberet, in ceteris vero Barrowianam breuitatem, quantum eius fieri posset, imitaretur.

Sumta itaque in manus praestantissima Operum Euclidis editione, quae cura doctissimi viri, Dauidis Gregorii, Oxoniae prodiit, ex ea textum Latinum definitionum & propositionum de-

PRAEFATIO

descripsi ad verbum, paucissimis * exceptis, in quibus siue sensus siue Graecus contextus aliquam mutationem postulabat. Deinde perlecta vniuersaliter propositionis demonstratione, eam sic reddere studui, ut, seruato eodem ordine, quo Euclides syllogismorum seriem instruxerat, totam tamen demonstrationem in arctius quasi spatium cogerem. Hoc autem quatuor potissimum modis efficere volui, quibus & Isaacum Barrowium usum esse videbam. Nam primo ἐνθεσι, quam Euclides singulis propositionibus subiungit, & in qua, quidquid in propositionibus vniuersaliter enunciatum fuit, ad singulares schematum appositorum lineas applicat, ipsis propositionibus inclusi, ita tamen, ut ne ἔκθεσι cum propositione commiseretur, sed ut quaeque propositio absolutum sensum haberet,

* Sunt illae prop. 7. L. I. prop. 28. L. VI. prop. 10.
L. VIII. & prop. 26. L. XI.

PRAEFATIO

haberet, etiam si inter legendum litterae illae maiusculae, quae ad schema referuntur, & *ἐνθεού* continent, omitterentur. Quod ita fieri in propositionibus mathematicis, saltim si tironibus scribatur, consultum esse existimo, propterea quod propositiones ipsae memoriae mandandae sunt, non autem earum *ἐνθεοτέρων*, quippe quae solis demonstrationibus inferuiunt. Secundo, syllogismorum maiores, quas vocant, propositiones, quae in omni demonstratione ex superioribus sumuntur, & quas Euclides solet totidem verbis plerumque repetere, omisi; indicaui tamen per numeros, alphabeti Graeci litteris in margine adscriptos, ea loca, in quibus eas, si sponte non succurrant, lector euoluere potest.* Tertio pro quibusdam verbis
notas

* Videlicet horum numerorum posterior designat Librum, prior huius libri propositionem. Praeterea def. significat definitionem, ax. axioma, & post. postulatum.

P R A E F A T I O

notas illas adhibui, quae apud Mathematicos dudum vsu receptae sunt. Habent autem harum notarum pleraque non hunc solum usum, ut tanquam scripturae compendia textum breuiorrem reddant, sed &, si quis iis semel adsueuerit, quod fieri potest facillime, menti in cogitando non exiguo sunt adiumento, quia quantitatum, de quibus cogitandum est, mutuam relationem citius longe & distinctius, quam litterae vel vocabula, animo intuendam praebent. Propterea veniam mihi, vt spero, dabunt aequi lectores, quod in X. Libro horum Elementorum quatuor nouis notis usus fui, quum eae, quae in Barrowiana editione ibi occurrunt, nimis incommodae sint. Est enim earum vna alteri adeo similis, vt inter legendum facillime possint confundi. Quare quum his, sine lectorum incommodo, me vti vix posse intelligerem, neque apud alium Autorem

P R A E F A T I O

Etorem alias ipsis pares reperisse: ausus sum nouas istas effingere, quas in limine dicti Libri exposui. Per paucae quum sint, facile poterit lector earum potestatem memoria retinere, praesertim vbi animaduerterit, eas ex initialibus litteris Graecorum, quibus substituuntur, vocabulorum $\Sigma\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\alpha$, $\alpha\sigma\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\alpha$, $\alpha\lambda\omega\alpha$, leuiter inflexis literarum ductibus, vel lineola apposita, esse efformatas. Quartum denique, quod mihi in contrahendis Euclidis demonstrationibus nonnunquam auxilio fuit, hoc est, quod quibusdam propositionibus subiunxi scholia vel corollaria, in quibus eiusmodi propositiones ostensae sunt, quae multorum sequentium theorematum & problematum demonstrationes iterum tanquam principia ingrediuntur.

Sed praeter haec scholia & corollaria, visum etiam est, alia addere, in quibus

PRAEFATIO

quibus ex Euclidis propositionibus
aliae, quarum vel ad inuentionem,
vel ad aliorum Auctorum demon-
strationes intelligendas, frequentis-
simus vsus est, & quae in vulga-
tis aliorum Auctorum Elementis Geo-
metriae habentur, sine longa ratio-
cinatione colliguntur. Pleraque ho-
rum scholiorum e Barrowiana edi-
tione hic transcripsi, nonnulla, sed
per pauca, ipse addidi. Nam omnium
horum scholiorum numerum medio-
crem esse volui, memor quippe,
non thesaurum geometricarum pro-
positionum mihi condendum, sed
Elementa Geometriae edenda fuisse.
Singula autem haec, siue scholia, siue
corollaria, siue alia, quae in Graecis
exemplaribus horum Elementorum
vel omnino non leguntur, vel saltim /e
aliis in locis, demonstrationum con-
textui interspersa, reperiuntur, asteri-
scis notaui. Erunt forsitan, qui mira-
buntur

PRAEFATIO

buntur, cur talibus propositionibus scholiorum titulum adscripserim, quibus corollariorum potius nomen conuenire existimabunt. His autem respondeo, me in his quoque minutis ad indolem Euclidei operis, quantum possem, accedere voluisse; in quo video, eas fere solas propositiones corollariorum vel πορισμάτων titulo insignitas esse, quae, quum in demonstracione alicuius theorematis vel problematis obiter ostensae sint, dein ex ea quasi excerpuntur, &, absoluta demonstratione, separatim enunciantur, quo earum ad sequentes demonstrationes expeditior sit usus. Quod tandem ad schemata attinet, ligno incisa, etsi curaui, ut ea illis, quae Oxoniensis Operum Euclidis editio habet, similia essent; fateor tamen, nos illarum non assequi potuisse elegantiam.

Haec sunt, quae de instituti operis ratione lectores monere volui, et ex

P R A E F A T I O

quibus satis, opinor, apparebit, me
omne consilium operamque in hoc in-
tendisse, ut & verum & integrum Eu-
clidem ipsis in manus traderem. Ut
autem hi, qui ad eius lectionem pri-
mum accedunt, aliquam eius notitiam
afferant, non erit alienum, huius Geo-
metriae ideam breuiter adumbrare.
Totum hoc opus duabus constat par-
tibus; quarum altera contemplationem
superficierum, altera solidorum com-
plecit. Et in quatuor quidem pri-
mis libris traduntur, quae figuris pla-
nis, circulo puta & rectilineis, absolute
spectatis conueniunt, & quae ad earum
aequalitatem, ac angulorum laterum-
que in illis magnitudinem cognoscen-
dam conducunt. Sextus liber de simi-
litudine figurarum planarum agit, ea-
rumque, item angulorum & rectarum
linearum, ad se inuicem rationes inue-
stigare docet. Eius gratia in quinto
libro tradita est proportionum, quae
inter

PRAEFATIO

inter magnitudines esse possunt, vniuersalis *Geometria*. Hisce prima pars huius Geometriae absoluitur. Solidorum contemplatio commensurabilium & incommensurabilium notitiam requirit, ad quam doctrina de numeris opus est. Eorum itaque librorum, qui sextum sequuntur, tres priores de numeris copiose exponunt, ac ob id arithmeticci vocari solent. Decimus rectangularium linearum & spatiorum irrationalium, hoc est, datis rectis lineis vel spatiis incommensurabilium, doctrinam tradit. Postremi quinque in solidorum contemplatione versantur, & ea docent, quae ad illorum tam dimensionem, quam proportionem & in se inuicem inscriptionem spectant. Nunc reliquum esset, ut singulorum etiam librorum argumenta commemorarem. Sed praeterquam quod hac enarratione facile carere poterunt, quibus animus est, integra haec Elementa a capite

PRAEFATIO

pite vsque ad calcem perspicere (quod
ut tirones faciant, maximopere sua-
deo): vereor, ne, si ea percurram,
haec praefatio, quae iam praeter op-
inionem longiuscula facta est, iustos li-
mites excedat. Vnum hoc addam,
si hanc meam operam doctis viris pro-
bari intellexero, curaturum me esse,
ut Euclidis Liber Datorum, Theodo-
sii sphaerici, & Archimedis Geome-
trici libri eodem, quo haec Elementa,
habitu vestiti posthac in lucem pro-
deant.
